



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 98. Cæsaris, ac Ferdinandi literæ ad Bohemos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

tibus propemodum innumeris, qui om-  
nes sua eidem obsequia offerebant. Sub  
idem tempus Elector Brandenburgicus,  
qui pariter hucusque neutri parti adhæ-  
rebat, Cæsari sua studia addixit, suum-  
que filium natu majorem Joannem Ge-  
orgium ad Romanorum Regem ablega-  
vit, nec multo post Bambergenses Bo-  
hemis, ac Saxonibus vicini suos quo-  
que Oratores ad Carolum Cæsarem de-  
creverunt, supplices, ut benigne im-  
pedire vellet, ne quid damni ipsis ex fi-  
de, & obsequio, quo ei addicti essent,  
accederet. Imperator ducentos currus  
muneribus pro more oblatis onustos ac-  
ceptans Franciscum Comitem Landria-  
num ad eos misit, ut hostium molimi-  
na diligenter exploraret, ac civitatis  
securitati prospiceret: Interea vero Fer-  
dinandus unacum Mauritio Duce & Jo-  
anne Georgio Brandenburgico Dresda  
Egram pervenit, ubi Cæsar pridie ad-  
ventans cum illis consilia communica-  
vit.

## §. XCVIII.

*Cæsaris ac Ferdinandi literæ ad  
Bohemos.*

Ex eadem urbe Imperator die octava  
Aprilis literas ad Bohemiæ Ordi-  
nes dedit, hæc significans: *Hoc bello  
non nisi Saxonem peto, nec Religionis causa*  
*Hist. Eccles. Tom. XXXIX.* O *sum-*

Sæcul. XVI.  
A C. 1547.

Sæcul. XVI *sumpta sunt arma, sed ut in rebelles vindicarem: itaque peto, ut expedito commatu annonam subministratis, positisque armis ad quietem vos domum quamprimum conferatis.*  
A.C. 1547. Præterea quadriduo post Rex in eandem sententiam ad eos scribit, & illos, ut ab armis discedant, monet; *alioqui se, & Cæsarem infestum habituros Bohemos, nec impunitam eorum temeritatem fore minitabatur:* quod vero in Saxonis gratiam scripserint, mirum sibi videri dicit, cum ille nec de Cæsare, nec de se, aut denique de regno sic esset meritus, ut ipsi nihil offensionem veriti pro eo deprecari debuerint, pro eo autem quod de conventu flagitent, se primo quoque tempore satisfacturum pollicetur. His acceptis literis, Nobiliores, qui Pragæ erant, per omnes regni partes quosdam emiserunt, qui rem in summum discrimen adductam significant, gravissimisque verbis moneant, ut omnes pro patriæ libertate quam primum in armis sint. Dein iidem ad Ferdinandum Regem scribunt, petuntque, ne tam ipse quam Cæsar moleste ferat, quod ipsi ad suam defensionem arma sumant, nec Saxonix Electorem aggrediantur, cum illum propter foedus, quod Bohemicum domo Saxonica intercedit, deferere non possint.